J. VII. Per.

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28769090

FRANCISCI PETRAGLIÆ

PROFESSORIS MEDICINÆ

D E

M O R B I S   M U L I E R U M

Σ Υ Ν Τ Α Γ Μ Α.

NEAPOLI CIↃIↃCCXXCIV.

Praesidum Permissu

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

NATALI SALICETIO
V. C L.
PII VI. P. M.
ARCHIATRO,
EJUSDEMQUE AB INTERIORE CUBICULO.

FRANCISCUS PETRAGLIA
S. D.

NOn diu anceps hærere debui, V. Cl., ut ſtatuerem tibi præ reliquis libellum hunc meum de morbis femineis eſſe nuncupandum. Quum

 enim

enim ante hos quatuor plus minus annos alterum de affectionibus cordis tibi inſcriptum edidiſſem, quumque eumdem, & a viris medicæ artis peritis, & ab aliis e literatorum claſſe compluribus adprobari vidiſſem, non aliis auſpiciis utendum eſſe in hac editione intellexi, quam quæ præter omnem expectationem, atque adeo optatum meum multo mihi fauſtiſſima, atque optima alias expertus ſum. Nec aliter, ſi verum amamus, evenire profecto debuit. Qui enim tibi in hujuſce facultatis lucubrationibus placuerit, is quî diſplicere aliis poterit? Ac te quum dico, principem dico medicæ facultatis Virum, cui non modo Romani Proceres, ipſique Eccleſiæ Purpurati, atque ipſe adeo Pontifex Maximus Pius VI. primas in arte ſalutari deferunt, ſed, quod caput eſt, præſtantiſſimi quique Profeſſores, qui

com-

communi ſententia ita de te ſtatuunt, TE, non tam quod pontificius Archiater ſis, quodque per omnes honoris, & præmiorum gradus in facultate noſtra proceſſeris, principem apud ſe exiſtimationis locum obtinere, quam, quod ejuſmodi ſis, qui merito tuo locum eumdem obtineas. Quare etiam atque etiam abs te peto, ut munuſculum hoc meum, item uti cum illo altero feciſti, excipere velis quum humaniter, tum etiam libenter. Fateor equidem, non tale illud eſſe, quod & manibus tuis tractari, & in Bibliotheca tua, quam ex omni genere librorum tibi comparaſti, quæque, ſi verum dicendum eſt, vix, ac ne vix quidem multorum, ac magnorum Principum Bibliothecis de copia, ac voluminum præſtantia conceſſerit, reponi poſſit; tamen ſatis dignum, puto, immo multo profecto digniſſimum in ea lo-

cum obtinebit, ſi non ejus quidem nomen, a quo proficiſcitur, ſed ejus unius, cui inſcribitur, & ad quem mittitur, attendatur. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO.

EDideram ante hos quatuor annos typis Romanis breve de cordis affectionibus σύνταγμα, quod præter omnem expectationem meam adeo viris eruditis placuiſſe vidi, ut in Ephemerides, quæ æque in Italia, atque apud alias quoque gentes ſtatis temporibus edi ſolent, non modo relatum fuerit, ſed ab iis etiam valde commendatum. Id mihi, Lector benevole, animos addidit, effecitque, ut iterum doctorum Virorum humanitatem, ac benevolentiam erga me experiri vellem, altero hoc edendo Opuſculo de Morbis muliebribus. Nihil hic amplius addam, niſi novum hunc libellum eodem ſtylo, eodemque ordine fuiſſe a me conſcriptum; ad doctrinam autem, & res ipſas quod attinet, dedi operam excerpendis celebriorum Profeſſorum lucubrationibus, ut ſi non exquiſitæ, utiles quidem certe, & opportunæ medicinæ Tyronibus eſſe poſſent. Nec tamen non quædam paſſim de meo inſperſi, quæ diuturno uſu neceſſaria ad cognoſcendum medicinam exercere volentibus eſſe animadverti, de quibus doctiorum, ſi quos hæc legere non piguerit, erit judicium; me certe non tam nominis aucupandi gratia, quam in hac facultate parum expertes juvandi, editionis novam hanc aleam ſubiiſſe numquam pœnitebit. Vale.

CENSORUM ADPROBATIONES.

Syntagma, de Mulierum Morbis a Clmo Medicinæ Professore Francisco Petraglia compositum, Rmi Patris Thomæ Mariæ Mamachii S. Apostolici Palatii Magistri jussu legi, et lectum probavi, cum in eo nihil animadverterim, quod vel Orthodoxæ Religionis placitis, vel bonis moribus, vel Principum Majestati, supremisque juribus adversetur. Neque mediocrem, meâ sententiâ, referet laudem opus, non modo eâ concinnatum methodo, quæ neque operosa sit, neque fusis præceptionibus constans, sed brevis nitida, et simplex; verum etiam quod de Morbis agere aggressus sit, quos utpote Mulierum generi proprios, tot undique ambagibus, ac tricis obsitos vel ipse agnovit Hippocrates, ut *ei, qui illos probe tractare volet, a divino Numine initium sumere oportere* (lib. de nat. Muliebr.) tanto ante pronunciaverit, Quare ec. Datum ex meis ædibus Prid. Kal. Decembris anno 1783.

Franciscus Mora ex Archiatr. Romanor. Collegio, et in Apostolico S. Spiritus Archinosocomìo Instit. Chirurg. Lect. et Medicus Primarius.



DE
FEMINEIS MORBIS
ΣΥΝΤΑΓΜΑ.

UTerus quidem feminis additus eſt in eum finem , ut ipſæ certo menſium ſpatio fœtum contineant, neque inde prius deponant , quam ad abſolutionem pervenerit ; idcirco has peculiari quadam ratione , & apparatu natura etiam inſtruxit , atque a maribus diſtinxit ; quo fit , ut eædem propriis, & ſuis quibuſdam interdum morbis obnoxiæ ſint, qui ex earumdem partium machinamenti vitio, & functionum læſionibus conſequuntur. Itaque quum de iis agere propoſuerim , in omnibus differentiis ſingulatim recenſendis non nimium laborabo , ſed calculatorum more ea innuam dumtaxat , ſeu potius deſignabo , quæ Medico in his curationibus ſcitu maxime neceſſaria eſſe exiſtimavi . CA-

CAPUT I.

De Menſtruis.

MEnſtrua feminis plerumque proveniunt circiter decimum quartum ætatis annum, & fluere deſinunt ferme quinquageſimum. Hujuſmodi ſanguis e vaſis ſanguiferis uterum, & vaginam irrigantibus minime in morem rivi manat, ſed per tres, quatuor, quinque, aut ſex dies ſtillat, idque in plurimis continenter, in quibuſdam tamen per intervalla: qui ſanguis ſingulis ut plurimum menſibus recurrit, etſi aliquando accidit, ut quædam poſt octavum, aliæ decimo quinto quoque die ordinate, & nullo ſanitatis detrimento fluxum experiantur. Quantitas effluentis ſanguinis admodum varia eſt, raro ad uncias triginta pervenit.

Harum purgationum cauſſam, ſunt qui a venoſis uteri appendicibus, atque vermiculatis vaſis repetunt. Verum corporum lacerationes nihil horum patefaciunt. Contra ſunt, qui a Luna, cujus phaſibus eas ex æquo reſpondere exiſtimant, quod non ita ſe habere uſus oſtendit. Alii repetunt a fermentatione, quorum jam exolevit opinio. Alii denique alias cauſſas parum certe probabiles afferre conſueverunt. Nos poſthabitis his opinionibus, illud non videmur inficiari poſſe, menſtruis proximam cauſſam ſanguinis copiam, ac vim præbere, tum etiam peculiarem uteri texturam. Et quidem, ubi ſanguis nimium auctus copioſior ad uterum appellit, efficitur, ut, quum ipſius vaſa eidem

ve-

vehementius influenti non ſatis ſint, reſerentur, ac pateſiant, ſicque ſanguis per laxiorem fibrarum texturam trajiciens foras proſilit.

DIAGNOSIS.

Indicia inſtantis fluxus hæc ſunt: ſi mammæ tumeſcant, aut renes doleant. Item pondus circa pubem cum quodam pruriginis ſenſu, genarum rubor, pigritia, pandiculatio, oſcitatio, & ardor denique juxta ſpinam dorſi. Ceterum adveniente menſtruo feminæ capite languent, non tam dolore quidem, quam gravedine occupatæ, atque preſſæ. Illud etiam licet hic adnotare, ipſas, fluxu accedente, omnes fere cibos, hauſtuſque faſtidire.

CURATIO.

Quæ hactenus perſequuti ſumus indicia, ea bene perſpecta Medico eſſe debent ad morborum naturas, & ſtatus diſcernendos. Nam ubi in indiciis falſus fueris, facultas noſtra, quæ conjecturis nixa ferme eſt, tota peſſum ruat oportet cum maximo ægrotantium, qui curæ noſtræ commiſſi ſunt, detrimento. Quare etſi menſium tempus inſtare videatur, & puella ſe male habere cœperit, non ſtatim tamen lunare virus, ut Ovidii verbis utar, provocandum eſt, immo conſiderandum, an aliquis ſubſit morbus, qui alii cauſſæ aſſignandus ſit. Si circa decimum quartum annum mammæ intumeſcere incipiant, facies rubere, oculi vivi fieri, extemplo corpus in-

increſcere, atque cetera præterea apparere indicia, quæ ſupra recenſita ſunt, tuto licet uti pedum balneis, tum etiam naturæ conatui lenioribus medicamentis, quibus menſtrua proveniunt, obſecundari. Si ea hac ratione non profluunt, vel medicamentis validioribus utendum, vel ſanguinis copia e muliebrium, aut pedum venis hauriendo eſt imminuenda. Idonea quoque hic ſunt aquæ medicæ acidulæ martiales, ut & Chalybeatum aliquod, quo quum ſanguinis motus incitatur, tum maxime uteri fibris robur accedit. Motum etiam, & deambulationem valde hærentibus menſtruis conducere compertum eſt.

CAPUT II.

De menſtruorum vitiis.

MEnſtrua vitiantur ſive defectu, ſive copia, ſive pravo humorum genere. Hujuſmodi morbi cauſſæ valde cum cauſſis hæmorrhagiarum, quæ in puerperis contingere ſolent, conveniunt. Verum quum res non ita paucis verbis expediri poſſit, infra ſuo loco agetur.

Vitiata itaque fluxuum natura, vel ut cauſſa, vel ut effectus ſuppreſſionis ipſorum conſiderari poteſt; hinc quæ ad hanc rem ſpectant, ex iis quoque intelligi poſſunt, quæ de retentione menſtruorum neceſſario conſequuntur. Retentorum, vel etiam tarde, atque inordinate fluentium menſtruorum cauſſæ perpendi poſſunt, vel habito reſpectu ad humores, ad vaſa, ad ipſam uteri

uteri texturam, atque demum ad vaginam.

Quod ad humores ſpectat, ineſſe vitium in ipſis poteſt, vel quod excedunt, vel quod deficiunt, vel quod natura depravati ſunt, hoc eſt, aut ſpiſſitudine varia, aut acritudine, aut aucto, aut imminuto eorumdem motu.

Jam de vaſis ut loquamur, perſpicuum eſt, eadem ſtrictiora reddi, vel ſpaſmo nervos varie convellente, vel humoribus citato motu alteratis, vel alia quavis conſimili cauſſa; tum e contrario conſtat aliis, aliiſque cauſſis ipſamet laxiora interdum reddi; quo fit, ut uterus vario, ac multiplici affectionum genere vexetur, ut puta, nunc inflammatione, nunc ſcirrho, modo ulcere, alias catarrho. Huc pertinent, & obliquus uteri poſitus, & ejuſdem orificium obduratum, aut occluſum; tum vaginæ latera invicem connexa, aut morboſa interveniente membrana conglutinata. Horum cauſſis gignendis non tam multi, ac varii morbi, quam vitia in ſex rebus, non naturalibus dictis, commiſſa locum præbent.

DIAGNOSIS.

Menſtrua retenta, vel in uteri vaſis plus æquo diſtentis, vel in ejuſdem cavea ſubſiſtunt, vel deferuntur ad aliquam corporis partem, quæ tumore, atque dolore afficitur, vel de corpore exeunt. Quæ in utero ſubſidunt, ad putrorem, tabemque diſponi ſolent, ac niſi duorum, aut trium menſium ſpatio proſiliant, ſuppuratio eſt metuenda. Præterea eadem ipſa corrupta in

ſan-

ſanguinis ductus reſorbentur, ejuſdem maſſam inficiunt, moxque varia morborum converſio cum humorum depoſitione, quam μετάϛασιν Græci vocant; tum alia atque alia morborum genera ſubſequuntur. Ea tamen facile dignoſcuntur, primum ex ipſa maxima nervorum affectione, tum ex peſſimo habitu ſanguini comparato, tum ex depravata corporis conſtitutione, tum ex materierum nimia ubertate, denique ex communi oppilatione, ſeu obſtructione vaſorum.

CURATIO.

Jam vero quod ad hujus generis morbi curationem ſpectat, id maxime præ oculis Medicus habeat, ut pro cauſſarum varietate variam ſervet perſcribendi rationem. At ſi oris uteri, aut vaginæ concretio exiſtat, vel quædam morboſa interveniat membrana ſanguinis effluxum impediens, opera Chirurgi eſt neceſſaria. Illud autem tunc accidere intelligitur, quum nimirum conſueta adpareant ſigna menſtruorum imminentium, quorum tamen fluxus redire prohibetur, quum etiam grave ad pubem percipitur pondus; tumor abdominis conflatur, mollis quidem, ſed certis terminis definitus, atque adeo ipſius tactus, ac viſus ſenſibus plane ſubjectus. Expleto ſectoris opere, injectiones vulnerariæ; tum detergentes, tum conſolidantes, maxime vinum, in quo myrrha liquata ſit, adhibendæ ſunt. In puellis malo habitu præditis menſtrua cientur, præmiſſa levi purgatione, partim iis re-

remediis, quæ vi roborandi pollent, partim ipſius corporis exercitio. In quibuſdam autem attenuantibus medicamentis prius utendum eſt, quam curatio ad roborantia procedat. Dum vero adeſt rigor, ſeu contractio fibrarum, juvabunt ea, quæ ad ipſas laxandas conducunt; cujus generis ſunt, balnea, ſanguinis miſſiones, tum etiam quæ interius emolliunt, ut oleum, & juſcula, in quibus folia, aut flores malvarum, aut ſimilium decocta ſint. Ceterum laxatis præter morem fibris, caute prudenterque uſurpanda ea, quæ promovendis menſtruis conveniunt. Videntur autem hanc facultatem habere folia praſſii, quod & marrubium album vulgo appellant, ſabina, myrrha, galbanum, ſatureja, quæ & thymbra, & cunila dicitur, marum. Primo tamen leniſſima ex his tentanda ſunt, hoc eſt, praſſii folia, vel malvarum flores. In iis vero, in quibus vaſa ſanguinis plena ſunt, pedum primum inciſa vena, ut ſanguinis impetus ad inferiores partes augeatur, ad alvi inde ſolutionem eſt progrediendum per ea, quæ antiphlogiſtica dicuntur; ſervata interim abſtinentia, additiſque tum corporis exercitationibus, tum aliis remediis e reſolventium claſſe petitis. Vinum quoque utile eſt lene, & auſterum, maxime ſi chalybeatum aliquod addi poterit ad fibras roborandas. Illud etiam notari maxime velim, morbos ex hærentibus menſtruis profectos ipſis rite fluentibus evaneſcere. Quod ſi contra eveniat, tunc naturam morbi explorare conveniet, ad eamque, nulla menſtruorum habita ratione, idonea remedia accommodare.

CA-

CAPUT III.

De nimio ſanguinis profluvio.

NOn omnis ex utero, aut vagina ſanguinis fluxus morboſus eſt. Feminarum enim menſes ſolerti naturæ ingenio fluunt ad redundantem ſanguinem egerendum. Qui tamen menſes, ſi contra exuberantes ſint, aut temporis progreſſu in ipſius uteri ſtillicidium deſinunt, tunc morboſos ſeſe produnt.

Atque horum quidem cauſſæ eædem ſunt, ac aliarum hæmorrhagiarum, quibus ceteræ humani corporis partes obnoxiæ ſunt; nimirum, ſi ſanguis ſuam naturam multum exuat, ſi valde auctus copioſior ad uterum appellat, ſi ejus vis ſit violentior, ſi ipſius uteri vaſa ab humorum acritudine tenuata ſint, ſi eorumdem tunicæ pro ſanguinis mole debiliores occurrant, ſi demum ex prævalentium humorum impulſu eadem vaſa diſtracta dilatentur.

DIAGNOSIS.

Facile dignoſcitur exuberans ſanguinis fluxus, ſi improviſo, aut magno cum impetu erumpat, ſi diutius profluat, aut crebrius, aut non ſtato circuitu redeat, ſi deſtitutiones virium, ſingultus, convulſiones, aliaque hujus generis ſymptomata conſequantur. Contra, uteri ſtillicidium dijudicatur, ſi hujuſmodi fluxus modicus ſit, ſed continuus, & diuturnus, ſanguis autem carnis luturam imitetur.

PRO-

PROGNOSIS.

Quamvis omnis ex utero ſanguinis fluxus pro effuſionis majori, vel minori copia, aut diuturnitate periculoſus eſt, tamen qui partum ſubſequitur, ſecundis ejectis, ſponte deſiſtit, nec morboſus eſt, ſed non ita qui abortum, & polypum ſequitur: maxime ſi diſciſſæ ſecundæ utero adhæreant, qui fluxus (id, quod non raro contingit) matri mortem infert.

Præterea, ſi mulier plurimum menſtrui ſanguinis emittat, idque ex nimia ejuſdem copia oriatur, nullum præſefert periculum. Quod ſi fluxus hujuſmodi ab inertibus uteri fibris, aut ipſius ſanguinis acritudine ortum ducat, periculoſus eſt: cum interdum in fluxiones albas, interdum in ejuſdem uteri ſtillicidium deſinat. Quod ſi idem abundantius erumpat, aut ſi virium imbecillitatem, & convulſiones gignat, aut ſi extremæ partes membrorum inalgeſcant, tum vero omnium eſt periculoſiſſimus, ac ſi minus ſtatim mortem portendit, certe languente ſtomacho affectas mulieres hydrope nonnumquam, ſæpius tabe conficit.

CURATIO.

Quum in cujuſvis morbi curatione recte, conſiderateque Medicum agere oportet, tum in immodica menſium purgatione maxima providentia eſt opus. Etenim ſi continuo ſiſtatur purgationum muliebrium impetus, gravioribus

aliis morbis cauſſa præbetur, quibus affectæ mulieres multo pejus ſe habent, quam ſi immodica copia ſanguinem effuderint. Accedit tamen interdum, ut ab ægrotantium metu, & abundantia ſanguinis ipſum fluxum cohibere neceſſe ſit. Itaque ſanguis primum ex brachio detrahendus eſt identidem ad eam quantitatem, quam ægrotantis vires patientur. Deinde frigidæ potus perſcribetur, ut nervis, & arteriis robur impertiatur; ex quo ſanguinis moleculæ magis inter ſe coibunt, & ſanguiferis vaſis ſuum elaterium reſtituetur. Hinc ſi morbus accreſcat, nix etiam ad pubem admovenda eſt. Frigidis potionibus ſuccedunt mucoſæ opio conditæ, flores ſcolymi ſilveſtris, cortices aurantiorum ſubviridium, quos numquam felix ſucceſſus deſtituit, ut teſtatur Hamiltonus. Uſus porro corticis peruviani contra menſium abundantiam efficaciſſimus eſt, ut & chalybis. Sedato ſanguinis fluxu, ſupereſt ſtillicidium, cui curando lac plurimum confert, aut ſerum cum cortice peruviano, aut aurantiorum ſubviridium decocto, maxime ſi ab humorum acritudine morbus oriatur.

CAPUT IV.

De fluxionibus albis.

HIc morbus æque virgines, ac mulieres ceteras afficere ſolet, illas rarius, has frequentius. Qui quidem tam fluentibus menſtruis, quam hærentibus ſe prodit, ſæpe etiam intermittit, nec raro ſtatis temporibus recurrit. Is modo albus, atque inodoroſus eſt, modo denſus, coloreque ab aqua furfuris non alieno, modo tenuem fœtidumque ſe oſtendit, alias flavum, cinereum, atque viridem, ſanguineis guſtis intermixtis.

Cauſſam morbo præbent pravus corporis habitus, inconcinnum regimen vitæ, laborioſi partus, abortus, uteri affectus, atque ætas provectior. Quæ quidem omnia quum excretionibus, ſecretionibuſque humorum in utero, atque vagina nimium obſint, fit inde, ut corrupti humores defluant, & pro vitio, quo affecti ſunt, partiumque laceratione alias, atque alias, quum foras prodeunt, qualitates induant.

DIAGNOSIS.

Hujus morbi facilis eſt dijudicatio, ſi recens ſit, inveterati vero ſane quam difficilis. Tunc enim confunditur cum aliis fluxionibus, quæ per eoſdem canales proſiliunt, licet longe diverſam cauſſam agnoſcant, atque variam naturam referant, cujuſmodi ſunt gonorrhæa, uteri, atque vaginæ ulcera. Internoſcuntur ergo flu-

xiones albæ, ſi ſine magno dolore, & vehementi calore effluant, ſi libidinis uſum haudquaquam impediant, ſi denique plurimis variationibus objectæ ſint.

PROGNOSIS.

Morbus, ſi recens ſit, curatu facilis eſt, non item ſi inveteratus. Nam tunc conjectura ſuſpicari poſſumus, uterum labefactatum exiſtere. Qualemcumque tamen indolem referant albæ fluxiones, eæ perquam facile curantur, quæ intermittunt. In iis enim vel nulla, vel minima eſt vaſorum imbecillitas. Inſuper eo periculoſiores evadunt fluxiones, quo uberiores ſunt, & incrementis crebrioribus, & diuturnioribus ſunt obnoxiæ. Tunc enim certum eſt, cauſſas earum generales eſſe, atque uterum ipſum reſpicere, vel graviores ſaltem, ſi partem aliquam tantum offendant.

CURATIO.

In curatione ad tria reſpiciendum erit, fluxionum copiam, qualitates, & vaſorum laſſitudinem. Si fluxiones copia peccant, vaſorum orificia aperienda ſunt, atque idoneum vitæ regimen præſcribendum. Tum admonendæ, ne lecto diutius quieſcant, ſed tempore ſurgant, ſeſeque interim domi exerceant, nec uberioribus cibis, aut nimis nutrientibus indulgeant. Sanguinis miſſiones ex brachio utiles ſunt, maximeque ad fluxionum copiam minuendam valent. Si

morbus perſiſtit, urinam moventibus, nitri exiguo addito, utendum eſt, vel ſaltem ſolventibus, & aperientibus.

Tenuitati occurremus iis omnibus, quæ ſanguini debitam temperiem reſtituunt, eique denſitatem conciliant; quod conſequemur lacte, & decoctis iis, quibus ſanguinis moleculæ inter ſe coeant. Si & febris ſit, ſerum lactis, & cortex peruvianus multum juvant. Huc etiam potiones, quæ ſomnum invitant, plurimum conferre expertum eſt. Denique, ſi orificia vaſorum pateſcant, ut effluentem humorem retinere minime poſſint, tum roborantibus utemur, atque iis, quæ leniter adſtringunt. Efficacius proficiunt balnea, aquæ acidulæ martiales, atque injectiones detergentes, ſeu conſolidantes. Ceterum, ſi plures ad fluxum cauſſæ concurrerint, in medicina facienda ad ſingulas earum attendi debet, & unicuique ſpeciei ſuum certum remedium, ſeu auxilium præſcribi, ſic enim multiplex morbus tuto, pleneque ad ſanitatem adduci poterit.

CAPUT V.

De uteri inflammatione.

CErtum eſt, ad uteri inflammationem omnes illas cauſas, ex quibus cæteris in humani corporis partibus inflammationes proficiſcuntur, concurrere: veluti ſi fluida libere permeare per uteri vaſa nequeant, vel ſi proprio contaminentur vitio, vel ſi alterius generis humoribus immiſceantur, vel ſi, quum craſſiores ſint, in

minima uteri vaſa introducantur, vel ſi, inſtante libidine, affluit ad uterum præcipua ſanguinis pars, vel denique, ſi utero male ſit a menſtruis ſuppreſſis, vel lochiis, vel ſecundis hærentibus, vel qua alia de cauſſa nondum ejectis.

DIAGNOSIS.

Uterum inflammatum eſſe dijudicatur, ſi imus venter intumeſcat, ſi inteſtino dolore pubi infixo inceſſatur, ex quo laborioſius mingunt, conſpirante ardore, ſummaque pubis ſenſibilitate. Dolor ſubinde ad lumbos pervenit, ita ut difficilius ſupinæ jaceant, quam ad latera converſæ. Accedit febris, vomitiones, & reſpirandi difficultas.

PROGNOSIS.

Quamvis hic morbus pro graviori, vel leviori inflammationis qualitate, aut ſymptomatum ratione plus vel minus periculi præſefert; tamen ob imperium, quod uterus in femineum corpus gerit, difficilius medicamentis cedit, atque adeo periculi aliquid ſemper portendit.

CURATIO.

In inflammatione curanda eo ſpectandum eſt, ut fluidiores humores reddamus, eorum item copiam, quæ vaſorum fibras relaxat, minuamus; denique eorumdem vim prope affecta loca in-

ingruentem retundamus, quod obtinebimus, ſi id fortaſſe patiatur ægrotantis indoles, & habitudo, iteratis ſanguinis miſſionibus, qua brachio, qua uteri venis, qua potionibus diluentibus, in quibus nitrum liquatum ſit. Idonea quoque ſunt fomenta, & clyſteres emollientes. Maximæ utilitati ſunt olea, Anthyſtericis mixta. Denique, ſi dolores nihil de acerbitate remittunt, tunc indoloria, & ſoporifera adhibenda ſunt, tum per os, tum per clyſteres, ſi opus eſſe videbitur.

Tandem, ſi albus, aut ruber fluxus accedat, quoad inflammationis vis obtinuerit, a medicamentis abſtinendum eſt, quum natura iis conatibus uterum depleat. Quod ſi immodica ſanguinis profluvia conſequantur, conſpirantibus ſuſpirioſis anhelitibus, & crebris animi defectionibus, auxiliis, quæ cap. 3. laudavimus, ſiſti debent.

C A P U T VI.

De uteri ſcirrho.

UTerus, ut aliæ corporis partes, quæ glandulis non carent, ſcirrhis obnoxius eſt. His gignendis cauſſam præbent alimentorum copia, & qualitas, ira, timor, ac reliquæ animi minus rectæ permotiones, ſubita uteri reſtrictio, & colliſio, frigidi aeris acceſſus, laborioſi partus, abortus, lues venerea, atque nimia demum libido. Humores enim ob defectum debitæ vaſorum elaſticitatis tardiori, lentiorique motu per uteri vaſa tranſmeant, atque idcirco in ductibus

anfractuoſis remorantur, ex quo ſecretiones, excretioneſque impediuntur, humoreſque ipſi quotidie magis accreſcunt, ita ut liquori tranſeunti ſpatium, ac viam nullam reliquam faciant, qui proinde circa minimos arteriarum fines craſſiore ſui parte deſidere, atque inhæreſcere coguntur: preſſi autem a fluxu fluidi a tergo urgentis ſolidas partes, quibus inhærent, paulatim elevant, unde tumores, de quibus loquimur, exiſtunt.

DIAGNOSIS.

Non ita facilis cognitio ac dijudicatio eſt ſcirrhi in utero reſidentis. Verum probabili ratione intelligi poteſt ſcirrhum exiſtere, ſi extrinſecus premendo abdomen, tumor durus, minimeque dolens animadvertitur, ſi manibus obnititur, ſi cutis interim color non mutatus apparet, ſi denique digito in vaginam immiſſo, aliqua aut in priori, aut in poſteriori uteri parte, aut alio in loco duritas deprehenditur. Accedit tamen, ut ſcirrhus ſæpius cum hydrope, graviditate, mola confundatur, de quibus infra ſuo loco agemus, indiciaque adducemus, quæ ab his ſcirrhum diſtinguunt.

PROGNOSIS.

Quamvis ægrotantes nonnumquam vitam in longum tempus protrahunt, ſæpius tamen accidit maxime, quæ vel ſenes ſunt, vel laxiori corporis textura præditæ, ut ſcirrhus in cancrum abeat.

abeat. Ceterum difficillime genus id morbi eliditur, quum extrinſecus, aut interius adhibita medicamenta vix ad ipſum pertingant, immo eos curare interdum periculoſum eſt.

CURATIO.

In ſcirrhis curandis duplici via incedendum eſt, una, quam *palliativam* dicimus, quaque utimur in ſcirrho inveterato, & perfecto, altera *eradicativa*, quam adhibemus in recenti, nec valde extenſo, qui mulieres afficit, quibus menſtrua profluunt, atque habitu pollent ſanguineo. Itaque in hujuſce curationis inſtituenda ratione eo ſpectandum eſt, ut ſua ſanguini mobilitas reddatur, materia intumeſcens laxetur, eaque ſubacta excernatur, ac fibris præterea robur addatur ad ipſam collectam materiem exprimendam. Ad quod præſtandum ſuccus, & folia Intubi, Naſturtii, Becabugiæ, radices cichoriæ Anonidis, Eryngii, Tartarus vitriolatus, Gummi Ammoniacum, Sapones, Sales, Abſynthii, Centauræ minoris, ac demum aquæ acidulæ Martiales, aliaque hujus generis apprime conferunt.

Extrinſecus multa ex his conveniunt, quæ ſolventia dicuntur, ut Cicuta, Nicotiana, Galbanum, Manuſdei, aut Diabothanum. Illud animadvertendum cenſeo a Cicutæ aſſumptione, etſi plures triſtes effectus conſequuti non ſint, adhuc tamen ſpei conceptæ eventum non reſpondiſſe.

In palliativa curatione adnitendum imprimis

eſt,

eſt, ut morbus a ſævitia deſciſcat, atque adeo minus moleſte ægrota vitam toleret. Quare præſcribendum eſt, lac, ſerum lactis, decocta diluentia, ſoporifera, quippe quæ ſanguinis impetum compeſcunt, atque dolores leniunt. Multum quoque juvant clyſteres, alvum leniter ſolventia, aliaque hujus generis. Inſinuandum denique ægrotis, ut a ſe vehementiora corporis exercitia procul abjudicent.

CAPUT VII.

De graviditatis diagnoſi.

GRaviditatis quidem varia, & quaſi multiformia indicia ſunt, ſed fallunt ea non ita raro minus expertem Profeſſorem, nec perpetua, atque conſtanter in prægnantibus obſervari ſolent. Quin etiam tot ſunt ipſius uteri affectiones, totque inde ſubſequuntur incommoda, ut Medicus non ſatis cautus graviditatem pro alio morbo accipiat. Verum probabili conjectura colligi poteſt, graviditatem exiſtere, quum quidquid intra ventriculum continetur, nauſea ſuboriente, per vomitum egeritur, conditi introrſum deprehenduntur oculi, dolor accedit capitis, menſtruæ purgationes ſiſtuntur, mammæ plus juſto turgeſcunt, tumor ſimul ſeſe profert inſignis circa pubem, motus quidam interius in utero percipitur, ad ſummum adeſt præcipue ad jugulum notabilis pulſationis ſignum.

Porro graviditatis effectus ſæpius cum hydropiſi tum abdominis, tum uteri confunduntur,

etſi

etſi ratione cauſſarum, & ſedis affectæ hæ tres affectiones ſint longe diverſæ. Quare adnotare hoc loco licet, in aquoſo languore ventrem ſubeunte, ipſius aquæ fluctuationem continenter deprehendi. Præter hæc, graviditatis indubia indicia ſunt acuminatus tumor, qui ſupra os pubis eminet, atque ſenſim increſcit, tum oris præcipue uteri mollities, inæquales venarum percuſſus, ac mammæ præterea vivo lacte tumentes. Quin etiam illud eſt obſervatione compertum, in dijudicanda graviditate pro ipſius uteri hydrope falli facile poſſe, quod effuſæ aquæ fluctuatio, & acuminati tumoris figura nullam exhibent hac in re claram graviditatis notionem. Quod ſi flacceſcere mammæ deprehenduntur, & uterus vel citius, vel ſerius, aut omnino præter modum intumeſcat, tum vero non dubium eſt, quin de hydrope potius, quam de graviditate Medico ſit cogitandum.

Sed quoniam plurima alia ſunt morborum genera, quæ graviditatis ſpeciem præſeferunt, ea hic quoque recenſere oportet, ne Medicus expers notione fallatur. Et ſane ea affectio, quæ ex mola, quemadmodum vulgus appellat, exiſtit, graviditatem interdum referre videtur. Hæc tamen mola, ſive ex abortu, ſive ex ſecundarum reliquiis in alienam naturam deſinentibus, ſive ex menſtruo fluxu retento, atque coacto, ſive ex creſcente carne, quam Polypum noſtrates nuncupant, gignitur; ſemper tamen ejus effectus diſtinguitur a graviditate, maxime habito ad motum reſpectu, qui in prægnantibus intus percipitur, & ad mammas, quæ in eiſdem lacte turgeſcunt.

Idem

Idem eſto judicium de imi ventris tumore; vel ab ipſis veteribus in puerperis quandoque notato, cui ſua ſunt certa, & peculiaria indicia a graviditate omnino diſtincta. Hujuſmodi enim tumor, vel ab uteri inflammatione, vel a concreto ſanguine ejuſdem orificium opplente oriatur, ſecum neceſſario trahit imi ventris inſtar tympanitis diſtenſionem, acres dolorum ſenſus inferentem, quorum vis ad ſtomachum, interdum ad ſeptum tranſverſum pervadit; immo aliquando latius propagatur, videlicet, in latera, ubi jam inguina, jam umbilicum, jam lumbos eodem doloris ſenſu afficiat.

Pari demum ratione obſervandi ſunt plures alii tumores, atque internæ concretiones, quæ ex variis morborum cauſſis, viſcerum ipſa degenerante natura, intra abdomen fere concipiuntur. Qui quidem effectus, etſi inteſtina clauſtra amplificare, aut augere ita ſoleant, ut cum graviditate in ſpeciem videantur communes, facile tamen ab eadem ſecernuntur, & cauſſarum peculiari habita ratione, & ſymptomatum comitantium varietate perpenſa.

CAPUT VIII.

De gravidarum morbis.

TOt, ac tanta Prægnantes circumveniunt ferme incommoda, ut ex quo uterum ferre cœperunt, veluti fons quidam in ipſis ſcatere malorum videatur. Horum ipſorum partim repetendi ſunt ab æſtuoſo, ac petulanti congreſſu,

qui

qui nonnullas quandoque impreſſas notas relinquit, partim a ſanguinis copia, partim a nervorum affectionibus, aliquando ab ipſo fœtu ob admirabilem illam conſenſionem, quam ex instituto naturæ inter utrumque intercedit; nonnumquam ab impulſibus per ipſum fœtum utero illatis, alias ab hæmorrhagia, ſeu immodico ſanguinis fluxu, ſæpius ab abortu, interdum ab acido in gravidis crebrius, ac familiarius hoſpitante, demum ab aliis, atque aliis cauſſis, quæ emergere, aut concurrere poſſunt, quas enumerare omnes, ac ſingillatim, ſi velim, multus, immo infinitus ſim.

Jam vero in tam multiplicis cauſſæ varietate, ſatis ex ſe intelligitur, Medico ad curationem gravidarum accedenti non unam, eamdemque viam tenendam eſſe, veluti ſi omnibus promiſcue gravidis ſtatuat unum aliquod, tamquam univerſale remedium, ut puta ſanguinis miſſionem, quæ, quemadmodum & alia, non ante gravidis ſunt injungenda, quam plenam ipſarum valetudinem, habitum, & temperiem aſſequamur. Quamobrem hic ego, ut minus in arte peritis adjuvem, tum magis, ut ipſarum ægrotantium ſaluti, atque incolumitati proſpiciam; nonnullas ejuſmodi medendi rationes, ac vias ſuggeram, quæque hac ſuper re tum generatim, tum ſpeciatim ex optimis Auctoribus, atque experientia magiſtris didici, breviter indicabo. Igitur imprimis, ſi fœtæ mulieres, refugiente ſenſu, ex cibi rejectione laborent, idque primis tribus menſibus quotidianum habeant, abſtinere ſane a medicamentis debemus: nam ipſæ vomere

mere ex facili ſolent, atque idem ſuppreſſum pectori gravitatem facit. Si autem poſt vomitum gravidis ſtomachus infirmus ſit, ipſiſque dolor non tantum præcordia, ſed etiam caput divexet, unde caligines, aliaque in ſuperiori parte mala ſequuntur, atque increſcunt, tunc vomitum ſiſtere oportet ſanguinis miſſione e gelida, atque iis, quæ hypnotica vocamus, quibus ſin minus vomitus omnino non acquieſcat, ſaltem ejuſdem certe ſævitia retundetur.

Quod ſi a quarto ad ſeptimum menſem contigerit, ut vomitum comitetur os amarum, & ſiccum, crebri ructus cum dolore, & gravitate præcordiorum, tum ſtomachi faſtidium, atque copia ſpiritus intra inteſtina cohibiti, ibique circum ea clauſtra frequenter murmurantis, tum vero laxantia cum utilitate adhibentur, maxime rhabarbarum, & cremor tartari. Præterea alvum convenit ex inferiori parte evocare: univerſe autem toto graviditatis tempore, ſed exacto potiſſimum menſe ſeptimo, non tam ad vomitum compeſcendum, quam ad commendabile fœtui nutrimentum præſtandum, vini, ſimul & auſterioris, & meracioris potus præcipue juvant; ſed ante hæc, & quæcumque alia curandum, ut, ſi ſanguinea ſit gravidarum conſtitutio, vel ſi vaſorum plenitudo advertatur, ſanguis ſtatim inciſa vena mittatur; quo ſervato, cavendum erit præterea, ne immodica ciborum ingeſtione venter gravetur, ſed poſtremis maxime fœturæ menſibus ea victus ratio habeatur, ut modice potius, ac ſæpe alimenta ſumantur.

In-

Invaleſcente vero, ac perſeverante vomitu, vomendique anxietate, ſi in affectione nervorum (ut ſæpe ſolet) cauſſa conſiſtat, tunc indoloriorum, ac ſomniferorum ope utendum erit, quibus & humorum inſtimulantium vis confringitur, & ſpirituum animalium confluxio arcetur. In languoribus, ac defectibus animi conciliandæ ſunt vires per acuta, ardentia, odorifera aromatibus condita, atque ſtillata, tum extrinſecus ea adhibenda ſunt, quæ ventriculum corroborare poſſunt. Alvi autem præter morem commotæ blande adſtringentia valde conferre compertum eſt.

Si quid autem ex eduliorum, vel potuum genere exoptent gravidæ, id ipſis eſt liberaliter largiendum, donec voluntas ipſarum affatim expleatur. Vertigines, quibus gravidæ obnoxiæ eſſe ſolent, quum id mali genus a redundantia vaſculorum cerebro, aut nervo, ut dicunt, optico inhærentium, atque viciſſim eoſdem prementium tamquam a propinqua cauſſa ut plurimum pendeat, omnino indigent ſanguinis detractione, refrigeratoriis, atque iis etiam, quæ *revellentia* dicimus: ſi vero aliunde origo petatur, ad ea, quæ ad nauſeam, vomitum, animi languores facere, ſupra oſtendimus, recurrendum erit.

Doloribus porro, moleſtiiſque ſtomachi, quæ uſitato cardialgiæ nomine veniunt, occurri debet adhibendis iis, quæ acidis adverſa ſunt. Ab acidis enim hujuſcemodi affectiones oriri plerumque conſueverunt. Quod ſi ab uteri conſenſu (quod in prægnantibus non raro evenit) excitari

excitari eos prudens Medicus animadverterit, tum lenibus, tamquam ſucata medicina utendum erit. De dolore inguium, & pubis nihil præcipimus, quippe quum ab eo medendo propter graviditatem medicina abhorreat, ſenſim ſua veluti ſponte reſidere ſolet. Idem dicendum de crurum, femorumque dolore, quem vel ſola quies reſolvit, vel ad ſummum quandoque ſanguinis miſſio. Mammarum item tumor minus eget curatione, quamdiu intra mollitiem, ac tenſionem quamdam continetur; verum ſi ultra modum augeſcat, ut tenſus nimis ſit, & durus, tum præter blandam levem frictionem, admovere oportet fomenta ex malvarum foliis, ubi fruſtulum ſaponis veneti liquatum ſit: quibus interim prohibendum erit, ne veſte, & ligaminibus ceteris nimis adſtrictis utantur.

Quantum ad victus rationem, ea univerſim gravidis ſervanda eſt, quæ nec ſtomacho noceat, & palato gratificetur; quamobrem cibis utantur guſtui quidem gratis, & materiæ lenioris, & ad concoquendum facilibus, atque ideo ſolidis, adipatis, ſalitis, acidis, ſeu in acidum vergentibus, abſtineant. Potui præterea iiſdem ſit aqua naturalis, vel etiam vinum, ſed dilutum.

Illa vero velut ſatietas, quæ vulgo tenet gravidas, quæque ipſis faſtidium creat, cum defectu virium, ac languore quodam conjuncta ſæpiſſime aufertur corroborantibus aſſumptis, quæ tamen acriter inſtimulandi vi careant, cujuſmodi ſunt cinnamomum, mala, tum citrea, tum aurea, tum cydonia &c. Quorum etiam odores, ſicut & botrix, mellis ſophylli, ocimi, nardi,

tiliæ

tilliæ non parum ad revocandas, confirmandaſque cum animi, tum multo magis corporis vires juvant.

A dyſpnæa gravidarum, ſeu ſpiritus difficultate curanda Medico abſtinendum eſt, niſi quod incidere interdum venam oportebit, ſi adſit plenitudo: unde eam tantum victus rationem ſervabunt, ex qua nihil pulmonum functioni, & reſpirandi facilitati noceatur. Quare parce cibos aſſument, & non amplius, quam bis de die.

Alvus, ſi adſtrictior ſit, ſolvenda eſt, tum clyſteriis, tum balanis acrium qualitate ſic temperatis, ut ad dejectionem citius moveant. Inflationes pedum ſimiliter ut varices vel imminuuntur, vel tolluntur, earumdem partium frictione, ſitu corporis ſupino, toeniis circumdatis-

Quod ſi ſeroſus humor, atque mollis (quem œdema vocant) e muliebrium labiis emineat, omni alia cura ſepoſita, ſat erit uti ſive diſcuſſoriis, ſive etiam ſcarificatione levi, ſive demum emplaſtris iis, quorum ubi ſuperdantur, maxima vi veſiculis primum ſublevatis, dein diſruptis, vulnus tandem imprimitur, ex quo tamquam foramine aperto, humorem noxium elicere, ac revellere tentamus. Ipſarummet partium inflammatio, quæ periculo non vacat, per ea ſane reprimitur, quæ antiphlogyſtica appellat Medicorum vulgus. In ſtranguria, & mingendi difficultate, poſitu quidem ventris variato ſuſtineatur pondus, ne deorſum ſibi incumbendo urinæ meatus reſtringat; tum ſi hæc ſatis non ſint, neceſſe erit urinam educere per ſiphunculum ſedulæ obſtetricis opera immiſſum.

Quin ſi quid inter parturiendi niſus tale acciderit, tum membranas diſrumpere licebit. Hæmorrhoidum aſperatarum tumor fomentationum, ungentorumve opem expoſcit, atque etiam ſcalpelli ictum; ſi quando pertinaciter ſæviant, & partus ſimul neceſſitas urgeat.

Ad tuſſim ſedandam non alia expedire credimus, niſi molliſſima medicamenta, & ſoporifera, quæ ſpirituum animalium fluxus in pulmones impediunt, & ejuſdem nervos laxant. Verum invaleſcente tuſſi, ſanguinem detrahere neceſſe eſt.

In teneſmo ineatur ſolicita, & conveniens medendi ratio. His, quæ habitu ſanguineo ſunt, aut quibus vaſa nimis ſunt diſtenta, ſi in acutum incidant morbum, venam continuo ſecare neceſſe erit, & præterea quandocumque poſtulet neceſſitas, veluti in iræ magna commotione, vel ſi abortitionis metuendæ cauſſa ſit, utputa poſt caſum, offenſionem, vulnerationem, pavorem, aut tum quoque quum aliqua ex præfatis, aliave quavis etiam *intima* cauſſa futura prænoſcitur hæmorrhagia: cujus indicia ſunt, ſi mammæ flacceſcunt, atque ventris, ac lumborum dolor ingruat. Profecto dum naſcitur hæmorrhagia, plura ex miſſione ſanguinis provenire bona maxime ſolent. Quod ſi in magnum profluvium creverit, tum vero curandi hæc inſtitui ratio debet: ſectanda imprimis quies, ſupino cubitu, genibus alte conjunctis, frigida pubi admovenda, deligandi artus, extremitates fricandæ, potiones porrigendæ adſtringentes, muſcoſæ opio maxime conditæ, demum & vi-

ctui non præbendum niſi ex vitulina percocta jus egelidum, nec vulgari potui danda niſi frigida.

Hujuſmodi autem medendi ratio ad hæmorrhagias priorum menſium compeſcendas ſpectat, raro quidem etiam in ſexto uſurpanda: quod ſi & his malum obſtet, & germani partus cruciamina inceſſant, pedetentim prius ad lentam oris uteri diductionem, deinde membranarum, unde humores profluunt, rupturam deveniendum; quo enitendi expeditior ſit facultas. Ceterum, ſi os uteri molle non ſit, maximum id dilatandi periculum erit. De quo ſatis.

CAPUT IX.

De fœtu extincto.

FŒtum quidem in utero Matris variis ex cauſſis interdum extingui certum eſt. Extinctum autem eſſe ſequentia indicia demonſtrant. Primo, ſi nullus hic illic in utero motus percipitur, etiamſi corroborantia adhibita ſint, ſi labia, & facies palleſcunt, ſi oculi minus vividi ſunt, ſi pubis regio frigeſcit, ſi ſtomachus in vomitiones effunditur, ſi mammæ collabuntur, moxque gravidæ anima graviter olet, ſi aqua, & ſanies ex utero profluunt, conſpirantibus ſimul & acuta febri, & virium deſtitutione, ſi horror Matris corpus invadit, ſi denique manu, aut alia quavis re, quæ frigida madefacta, ſit ventri admota, nullus fœtus motus deprehenditur.

PROGNOSIS.

Fœtus in utero detentus putreſcit, & Matri periculum minatur. Nam etſi carnes putrefactæ interim egrediantur inſtar ſaniei, oſſa tamen remanent in utero, quæ eam ipſam plurimum offendere poſſunt.

CURATIO.

Si fœtus extinctus ſit, unica Medici cura in eo verſari debet, ut quam citiſſime extrahatur. Extracto autem, quam diligentiſſime danda opera eſt, ut inflammationi, & convulſionibus, quæ facile conſequi ſolent, occurratur. Quanquæ facile conſequi ſolent, occurratur. Quandoque autem moritur Mater, fœtu (id quod non raro contingit) adhuc vivente, tunc ſectio in abdomine eſt facienda, quæ partus Cæſareus trito apud medicæ artis Scriptores vocabulo nuncupatur.

CAPUT X.

De Parturientibus.

GRavidarum affectiones videor mihi jam omnes attigiſſe, quare de Parturientibus modo dicendum eſt. Partum inſtare docemur tumore ventris ad ima deſcendente, inſueto, ac valido lumborum dolore, qui modo auctus, modo imminutus revertitur, atque ex renibus ad pubem uſque excurrit, tum mucoſo liquore ex muliebribus manante: inſuper urina, quæ crebro,

bro, & difficulter redditur, addito ponderis ſenſu, præterea anhela reſpiratione, & calore evaleſcente, ac per totum corpus late diffuſo, maxime in facie, quæ proinde ſuffuſa apparet, conſpirantibus ſimul febri, & vomitione: utero demum diducto, unde, ruptis membranis fœtum involventibus, aquei humores profluunt.

Ut naturalis, non violentus partus exiſtimetur, illa faciunt. I. Statum, ac legitimum pariendi tempus. II. Expeditus, atque omni impedimentorum genere liber enixus. III. Vita, atque incolumitas fœtus. IV. Apta, & idonea, ſe quo facilius prodeat, ejuſdem poſitio. V. Secundarum ſuapte ſponte, ac ſine negotio dejectarum conſequutio. Quæ omnia ad partus felicitatem conducunt. At felicitatem quum dico, non celeritatem intelligo, quæ potius ſi nimia ſit, exitio puerperæ eſſe poteſt. Tempus autem, quo maturus partus eſſe ſolet, non idem prægnantibus omnibus eſt. Pleræque enim nono poſt menſe pariunt, ſed ſunt, quæ decimo; ſunt quæ undecimo, ſunt etiam, quæ vigeſimo. Non defuerunt, ſi fides narrantibus habenda eſt, quæ trigeſimo menſe fœtu exoneratæ ſunt.

Illud autem animadvertendum eſt, plurima impedimenta utero intervenire, quæ efficiunt, ut gravidæ mulieres minime feliciter ſuo tempore fœtum emittant. Verum multa ſunt ſigna, quibus nos de ejuſdem partus felicitate certiores efficimur, veluti ſi infima vulvæ pars in pelvim illabatur, ita ut in vaginæ extremitate facile manu contrectari poſſit, ſi ipſius os tenue molle, lateque patens, atque in ejus apertione, infan-

tis magis idonea ad prodeundum deprehendatur poſitio, quin brachia, aut umbilicus interveniant, ſi aqueus humor membranis contentus æqualiter in planum fundatur, ſi dolores denique nec languidi, neque longiores ex intervallo recurrant.

CAPUT XI.

Quid in Partu præſtandum eſt.

ATque principio obſtetricum illud eſt videre, ut Sella in parientium commodum fabrefacta præſto ſit, cui pelvis cum calida aqua ſupponenda eſt ad naturalia emollienda, partuſque facilitati conſulendum. At ſi talis adſit in pariendo difficultas, ut vix aquei humores prævii reddantur, tum procurandus eſt fœtus oleo, ac butyro muliebribus illito. Alvum præterea clyſtere citari oportet, & ſi res requirat, urina ex veſica ope ſiphonis educenda eſt. Si vero ſanguinei habitus eſt mulier, detrahendus eſt ſanguis e pede. Conducunt fomenta extrinſecus adhibita, quibus tamen remediis caute utendum eſt, ne immaturus partus ſequatur. Dolores vero, ſi aliunde quam a germana partus cauſſa gignantur, medicamentis ſomniferis mitigandi ſunt.

Illud porro notatu dignum eſt, quod ſi membranæ in globoſam formam turgidæ appareant, tum conſultius erit non nimium properare, atque ab ipſarum ruptura tantiſper abſtinere. Infantem autem in lucem editum, ſecundæ, quæ ve-

velamentum ipſius intus erant, aliquando poſt ſequuntur. Quæ tamen non vi divelli debent, ſed expectandum eſt, donec hiante utero, naturaliter excluduntur, aut lente, leniterque educendæ ſunt. Quod ſi copioſior ſanguinis eruptio conſequatur, tum ſecundas educere neceſſum eſt.

CAPUT XII.

De Partus impedimentis.

PAriendi difficultas aut a Matre, aut a fœtu eſt. In Matre quidem hæc animadvertenda ſunt. I. Uteri cervicisque præpoſtera conformatio, anguſtia, ejuſdemque orificium rigidum, vitio infectum, aut oppilatum, aut aliqua ſui textus parte corruptum, tum oſſis pubis firmior, atque ſtrictior compactio. II. Compreſſio ejuſdem, ſeu coarctatio ex vicinarum partium tumore, ex veſicæ calculo, ex recti inteſtini excremento ſtagnato, atque indureſcente, vel ex caveæ lumbaris nimia amplitudine. III. Virium corporis imbecillitas, vitium maxime pectoris, præcoces parturiendi conatus, puſillanimitas, atque metus. IV. Convulſiones epilepticis finitimæ, animi deſtitutiones, copioſior ſanguinis fluxus, atque demum infelix conceptus.

A fœtu difficultas oriri poteſt, ſi ſolidior ejuſdem membrana ægre diſrumpatur, ſi ipſe præ imbecillitate minus ſit potens ad adjuvandam Matrem, ſi grandior, aut monſtroſus, aut geminus ſit, ſi non recte in caput feratur, nec manibus juxta latera adductis, ſed vel utrumque

pedem, vel (quod operoſius multo eſt) alterum dumtaxat, vel manus exerit, vel duplicatus in nates exeat, vel obliquus alterutrum latus, vel pronus ventrem primum exhibeat, ſi fœtus extinctus ſit, ſi eumdem in caput quidem, ſed umbilici brevi vinculo collo circumdato, prodire contingat, ſi demum ſecundæ ipſius uteri ori tenaciter adhæreant.

Jam vero quo pacto ab his adverſorum generibus expedire, & caute, prudenterque Medicus ægrotæ ſuccurrere poſſit, docebunt ſequentia. Et primo quidem quævis ſtimulantia, ut parturientibus adverſa vitanda ſunt, etſi leviora timidis, minus valentibus, labore, aut morbo debilitatis, excepto, ſi morbus ex immodico ſanguinis fluxu, aut phthiſi exiſtat, valde conducunt. II. Convulſione affectæ, animo deſtitutæ, ſomniculoſæ, miſſo prius ſanguine, revellentibus, & *antiſpaſmodicis* adjuvandæ ſunt. III. Si autem doloribus ceſſantibus, repente, atque inopinata ſuccedat debilitas, quæ exundationem humorum extra vaſa portendat, hæcque lethifera putatur, tunc amotis prompte roborantibus partus promovendus eſt. IV. Si vaginæ prolapſus ante puerperium contingat, curandum eſt, ut ea in ſuum recipiatur locum; interim, dum fœtus prodeat, os uteri altius in ipſa vagina manu obſtetricis ſuſtineri debet. V. Si uteri labia præ ſiccitate contracta nimis appareant, ut in primiparis grandævis deprehendi ſolet, ea prius ſubjectis vaporibus emollienda, dein aqua, in qua radix Altheæ decocta ſit, oleo amygdalarum ignem non experto permixta,

bis

bis in ſingulos dies ante partum perſundenda ſunt, inſtituta interim ſanguinis miſſione, quæ parum quidem non confert. VI. Si vaginæ ductus ita ſit compoſitus, ut nonniſi obliquo tramite ad os uteri pertingat, tunc peculiari obſtetricis miniſterio opus eſt, quæ ſua ipſa manu fœtum, quo facilius prodire poſſit, diſponat. VII. Tumores ante partum medendi ſunt, aut reſolvendo, aut, ſi hoc factu difficile eſt, ad ſuppurationem adducendo, ſi veſicæ uteri, aut inteſtini recti tumores excipias, quibus alia occurrendum via, videlicet, aut ſiphone urinæ evocandæ cauſſa immiſſo, aut clyſtere ad exonerandam alvum admoto. VIII. Si noxii, aut ſpiſſi humores ad vaginam deſcendant, ibique ſic concreſcant, ut eam prorſus occludant, danda eſt opera, ut penitus extrahantur, nec metuendum, ne in exoneranda vagina aliquid detrimenti fœtui inferatur. Ceterum uteri ori oppilato (quod annoſis primiparis facile evenire ſolet) vix ſuccurri poteſt ſine periculo. Si nimis ampla ſit pelvis, uterus parturientis ſuſtentandus eſt; quod ſi contra, ita anguſta ſit, ut manum obſtetricis vix intro accipiat, tum (idem eſto dictum in caſu exoſtoſium, aut præpoſteræ oſſium conformationis) linimentorum ope laxanda eſt. Sunt quibus placet præſcribere in prava oſſium conformatione partum Cæſareum, atque etiam ſynphyſis extenſionem, quæ res, quam arduum, quamque periculoſum opus ſit, me quidem tacente, vel tyrones ipſi vident. Cavendum tamen a nimia feſtinatione, ut & oſſibus, & ligamentis pelvis detur ſpatium, quo

ſponte

ſponte ſua diduci, ac dilatari poſſint, tum os coccygis deprimi debet, quo facto, ſi adhuc optatus non conſequatur effectus, nec caput fœtus in uteri oſtium intromiſerit, tunc in pedes primum converti debet, dein curandum, ut in hunc modum extrahatur; quod ſi, extincto fœtu, caput jamdiu valvis uteri inhæſiſſe contigerit, tunc ad matris mortem impediendam forficibus Livretianis, aut vecte Roonhyſchiano utendum eſt. IX. Si conſtet, maturum partum intus extinctum eſſe, tum curandum, ut, qua poteſt via, quam celerrime extrahatur, ne putredine corruptus, utero ipſi contagione ſua lethalem labem inferat, quamvis hiſtoriæ medicæ referunt, nonnullas feminas fœtus diu exanimes ſine magno detrimento in alvo geſtaſſe. X. Si non idonea ad prodeundum fœtus deprehendatur poſitio, tum in occaſionem intendamus oportet, ut infantis caput ad os uteri compellatur: qua opportunitate uſus Medicus, fœtum manu dirigat in caput, quod ſi fieri nequit, ſtatim per pedes extrahendus eſt. XI. Si in partu immodicus ſanguinis fluxus contingat, curandum, ut os uteri dilatetur, & membranæ, quæ fœtum involvunt, diſcindantur.

CAPUT XIII.

De iis, quæ communiter Puerperis accidere ſolent.

SAnguinis fluxiones, quæ fœtum, & ſecundas conſequuntur, lochia appellantur. Primis quidem a partu horis optimus, ſatiſque rubicundus ſanguis profluit, cujus tamen rubedo ſenſim minuitur, tertioque, aut quarto tandem die penitus diſperit. Venarum autem motus ad naturalem celeritatem redeunt, antequam febris lactea, quam dicimus, accedat, quæ, elapſis viginti quatuor horis, aut ex toto recedit, aut magna ex parte remittit, donec ſuperveniente ſudore diſcutiatur, atque eo tempore mammæ ſic copioſo implentur lacte, ut præter modum turgeſcant. Quin interim ſuperficiaria in utero exoritur ſuppuratio, & ex muliebribus craſſa quædam, ſubalbaque materia defluit, quæ per decem, aut plures dies extillare ſolet, dum ne quid cubanti moleſtiam pariat, ejuſque corporis œconomiam perturbet.

Porro animadvertendum eſt, in nonnullis poſt febrem lacteam ſanguinem apparere, tum lochia quoque in robuſtioribus parcius fluere, atque brevi temporis ſpatio intermittere. Ceterum quæ infantes non nutriunt ipſæ, iis lac ad ſanguinem redit, & tunc lochiorum fluxus magis, magiſque augetur, tametſi aliquando vel per urinam, vel per ſudorem reſolvitur, interdum ſuperveniente alvi ſolutione ejicitur, nec raro in ſanguinis maſſam refunditur.

CAPUT XIV.

De Medici, & Obſtetricis officio in puerperio.

QUies corporis, & animi concilianda eſt. Cavendum, ne garrulis mulierculis, odoribus nimis acutis, luci vividæ, rumoribus, ubi puerpera cubat, ſit locus. Somnus non impediendus, ſeu potius, ut alii putant, ſomnum conciliandi vi præditis aucupandus. Secundo loco curandum eſt, ut abdomen non arcte faſcia devinciatur, tum ſyphone admoto urina evocetur, & alvus, clyſtere injecto, ducatur; maxime, ſi ante partum id minime præſtitum ſit, & ſumma adſit neceſſitas; quibus peractis, mulier in lecto, qui foculo leniter fotus ſit, collocetur. Exonerato probe jam utero, molle duplex, aut triplex linteolum ad ejus naturalia adhibendum eſt, ad frigidi aeris acceſſum prohibendum, atque ubi puerpera ſomno ſoluta fuerit, infans uberibus admoveatur, ut exſuctu lac provocet, & mammæ impleri incipiant. Vitare autem oportet tum motum, tum ſupinum cubitum.

Sed hæc non tam dicenda fuerunt, quam non prætermittenda. Illud igitur modo videamus, quæ remedia, quæve alimenta adhibenda ſunt. Quum partus labores interdum feminarum vires enervent, juſculum, aut aliud quidpiam, quod vires reficiat, exhibendum eſt: tum alimenta non alia deinceps danda ſunt, niſi quæ ſimul & facillime concoquuntur, & puerperam nutriunt, & lac uberius gignunt. Diluentia quo-

quoque plurimum conferunt, cujus generis ſunt largus calidæ potus, juſcula, in quibus aliquod florum malvæ, aut foliorum intubi, aut ſimilium decoctum ſit. Egelidæ potus noxius eſt. Fibrarum enim rigiditatem inducit, unde lochia cohibentur. A medicamentis, niſi infirmitatis urgeat neceſsitas, abſtinendum eſt. Caveant denique puerperæ, ne iraſcantur, ex quo copioſiores ſanguinis eruptiones, vehementes febres, & alii hujus generis morbi evenire poſſunt.

CAPUT XV.

De Puerperarum affectionibus.

MOrbi, qui partum conſequuntur, præcipui ſunt, & vulgares, animi deſtitutio, nervorum ex revulſis fibris convulſio, dolores oſſium, capitis, abdominis &c. lochiorum aut fluxus nimius, aut nimia ſuppreſsio, uteri inflammatio, alvi profluxus, febris, ſudor ſuppreſſus, & horum ſimiles; de quibus ſingillatim nonnulla delibabimus.

Primo quidem vires animi inſtaurantur circumducta faſcia cum corroborantibus leniter actuoſis ad abdomen continendum. Quo etiam pacto convulſionibus occurrendum eſt, quibus præterea ſoporifera aut opio condita, atque id omne, quod anthyſtericum audit, conducit. Ubi notandum, hoſce affectus, ſi eis immodica evacuati humoris ratio anſam præbeat, ab inſtimulantium genere acui potius, atque augeri, quam deſævire, ac minui, quare iis omnino abſtinendum erit.

Ad

Ad dolores quod attinet ex contuſione articulorum, nervorum ſpaſmo, aut tenſione relictos, (etſi alias aliis cauſſis adſcribantur, utputa fœtui, qui adhuc in utero retineatur, ſecundis, aut cuicumque alii nocumento, quo uterus affectus eſt) ii vel leniendi, vel abſtergendi erunt, adhibito ſive juſculo, oleo amygdalino, ſive diacodii, quod dicunt ſyrupo, ſeu clyſmate uterum emolliente, vel aliquo ex anodynis, aut roborantibus, eodemque leni medicamento. Ceterum dolores, qui tempore febris, quæ lactea vocatur, regiones uteri, atque alias invadunt, quum inflammatorii non ſint, ſanguinis miſſionem reſpuunt, ſolis fotibus extrinſecus contenti. Quod ſi a detentis in utero enaſcantur, curæ erit, illa abſtrahere ſedulo, ac dextere: orificium ſi obſtrictum ſit, qua fomentis, qua unctionibus laxatur, ac tandem, opio propinato, ſanitati, & naturæ ſuæ reſtituitur. Dolores autem, qui ad inflammationem, aut nocumentum uteri cauſſam referunt, ſuam ſibi vindicant peculiarem antiphlogiſticam, quam dicunt, medelæ rationem.

Nunc de lochiis, ſeu purgationibus puerperarum dicendum eſt. Igitur immodicus lochiorum fluxus cum primis dignoſcitur ex violenta copia ſanguinis a partu ſtatim erumpentis, & ſine modo, vel imminutione profluentis. Accedit, & oculorum caligatio, & oris pallor, & tinnitus aurium, & animi defectio. Hæc accidere frequentius ſolent, quum vel maxime ſtimulante acritudine humorum, laxatis ſolidis, fluidis tenuatis, ſanguis celeri, perturbatoque

nimis

nimis motu per venas agitur, ſicque motu ad uterum directo vehementius fertur; aut quum abdomen cauſſa fœcum induratarum inteſtinum rectum diſtendentium ſupra modum conſtringitur, & veſica dilatatur; aut demum, quum uterus nondum plene exoneratus, ac liber ſe contrahere neutiquam valet.

Harum cauſſarum ut diverſa ratio eſt, ita non uni præſcriptioni inſiſtendum erit. Si enim humores nimis acres, nimiſque fluidi ſint, quodammodo denſandi, atque edulcandi erunt, æſtuſque nimius ſanguinis frangendus, cui rei conducunt tum adſtringentia, ut quæ ex opio condiuntur, tum refrigerantia, nempe decocta ex hordeo, juſcula, & emulſiones. Recurrendumque ſimul ad roborantium genera, atque imprimis cinnamomum, vinum rubrum, aliaque hujus generis, ſic ut ſuum vaſis robur, & fibris accedat.

Alterum autem ſi contingat, ut alvus ſcilicet ex obduratis fœcibus ſit compreſſa, & ea quidem emollienda ſtatim eſt, ac reſolvenda, clyſtere admoto. Si denique poſtremum incidat, hoc eſt, a detentis in utero fluxum oriri, tunc ſolertis ſit artis munus illa educere. Et ſane hic quamplurimum juvabit lenis attrectatus abdominis cum externa applicatione ad pubem linteoli aceto aqua diluto madentis, quod a Græcis oxycraton dicitur, tum interna etiam ad os uteri ſuccorum præſertim ex papavere expreſſorum, quo ſic diluta labrorum rigiditate, eorum fibris laxatis, facilior grumis intro coacervatis exitus detur.

Hæc

Hæc de lochiorum profluxu. Si vero ex oppoſito ſuppreſſio contigerit, quæ utique a duplici, quam poſtremo loco recenſuimus, cauſſa agnoſcere ortum poteſt, ſervanda hic pariter ſunt, quæ inibi præſcripta. Nam aut ſtagnantium fœcum dejectu, aut eductione retentorum alvi leni attrectatione lochia nonnumquam fuiſſe reſtituta experientia docet.

Verum & a plurimis aliis cauſſis effici iſthæc ſuppreſſio poteſt. Generatim, vel quod cavea uteri, nullo manante humore, areſcit, vel quod in eo contentis exitus inhibetur. Speciatim vero fieri ex iis poteſt: animi imprimis vehementi commotione, vel irritatione nervorum, unde ſpaſmata conſequuntur; interna uteri obduratione, coactis grumis, aut enatis tumoribus, ex quo concreta ejuſdem labra obſtipantur; inflammatione vulvæ, ipſiuſve vulneratione, avulſionis ſecundarum vi facta, ſanguinis pigro motu ſpiſſati, aut alia ad loca directi, ſeu procliviter tendentis; orificio in obliquum converſo, ardenti, ob victus calidi rationem, conſtitutione.

Atque ut iſtiuſmodi malis appoſita præſtemus remedia ab his, quæ in poſtremum locum relata ſunt, incipiamus. Calidi primum victus ratio cum ea, quæ temperata ſit, permutanda: quæ non parum ad reſtituendam ſanguinis debitam temperiem conferet. Is vero ſi ſegnis, aut iners erit, non ita promoveatur, ut nimius ejuſdem motus fiat. Quare remedia omnia areſacientia, vel calefactantia procul abſint. Si quod autem ad claſſem eorum pertinens judicabitur, ut ſumptio laudani, aut injectio clyſteris,

hæc

hæc non niſi parce, ac ſemel injungantur. At tamen pro ipſis ſubſtituenda erunt alia mediæ claſſis, hoc eſt leniora, utputa decoctus artemiſiæ, chamædrios, marrubii &c. Olea prætérea quædam, tum vapores etiam ex enuntiatis, fomenta, ſanguinis demum miſſiones, ſive ex pede, ſive ex vaſis uteri pariter probantur. Non ita quidem pedum, vel tibiarum frictiones, quibus ad ima fluida provocantur, atque a naturali curſu avertuntur. Multo etiam minus unguenta odoroſis aromatis condita, aut Emplaſtra male olentia, quorum vis vel tum maxime impetit, læditque nervos.

De inordinatis animi motibus, deque ſpaſmate, ſeu nervorum convulſione, ſuo loco diximus. Ceterum obdurationi uteri, oris ejuſdem concretioni, atque oppilationi, uti etiam obliquitati præter id, quod ſupra dictum eſt, laxantia pariter, & emollientia conveniunt, in quibus etiam, univerſe loquendo, ſita ſpes maxime eſſe debet. Quin (animadvertere oportet) ſeu ex adſtrictione faſciæ, ſeu relaxatione, itemque ſumptione alicujus ex nutrientibus, atque ad auxiliandum ſimul cordi inſtitutis, redditio lochiorum pendere non raro viſa eſt.

Quod ad inflammationem uteri ſpectat, reſolventibus utendum eſt, quo in genere, ut alio loco demonſtravimus, ſanguinis miſſiones, nitrum, fotus præcipua ſunt. Quod niſi his ceſſerit, ejus finis idem erit, qui in ceteris ſolet, nimirum ſuppuratio, quæ certo eam conſequetur.

Illud etiam hic libet advertere, pus, ſuppu-

ratis apertis, interdum in varias partes effundi, ex quo majores abſceſſus fiunt, interdum per vaſa abſorberi, unde febri exiſtente, inteſtina, & lethalis labes metuitur; contra (quod ſalutare eſt) aliquando per ſputa excerni, ſæpius per urinam reſolvi, nec raro ferri per ipſa naturalia.

Si alvus vero præter modum ſoluta ſit, neque inde aut lochiorum ſuppreſſio, aut virium deſtitutio, aut acer inteſtinorum dolor conſequatur, id pro valetudine eſt. *Purgatur enim*, ut Celſi verbis utar, *corpus*, *&* *quod intus læſurum erat*, *utiliter effunditur*. Quod ſi ventrem citum peſſima indicia comitantur, maxime uteri inflammationes, tunc utendum eſt diluentibus, additis, quæ inflammationem diſcutiant, atque adeo abſtinendum ab iis, quæ ſtimulandi, & contrahendi vim habent. Potiones, quæ ſomnum alliciunt, tum ſunt adhibendæ, ſi alvus frequentius, ac diutius, quam pro conſuetudine fluxa ſit.

Ex morbis, quos toto hoc capite recenſuimus, illud etiam incommodi conſequitur, quod ſudor ſupprimitur, quem facile cieas juſculis ex radicibus diluentibus, ſive aperientibus præbendis. Interim puerpera lecto continenda, & fovenda eſt.

CA-

CAPUT XVI.

De acutis Puerperarum febribus.

NUllus quidem morbus, qui puerperis ſupervenerit, negligendus eſt, nedum febres, quæ æque concitatæ ad ſeptimum uſque diem perſeverant, parvi faciendas diligens Medicus putabit. Cauſſæ vero, quæ febribus hic locum præbent, ſunt, interdum frigus externum, interdum timor, aliquando frigidæ etiam potus, nonnumquam ira, cujus motibus deterior ſexus maxime obnoxius eſt, denique aut labores partus, aut ſanguis, qui novem menſium ſpatio detentus eſt. Quare mirum non eſt, ſi eædem graviſſimis inflammationibus afficiantur, lentis febribus, aut putridis, tertianis, aut quartanis laborent. Et quidem ſibræ cordis muſculoſæ irritatæ ſanguinem majore impetu, quam pro animantis functionibus, & natura a ſe propellunt, quem acceptum arteriæ itidem per corpus diffundunt, unde & partium ejus major attritus, & cum hoc calor, & pulſus frequentia exiſtit.

Curandum in hujuſmodi morbis, ut uteri vaſa aperiantur ad ſanguinem expellendum; quod obtinebimus fomentis, & ſanguine, tum a pede, tum ab uteri vaſis ope hirudinum detrahendo, addito nitro. In ceteris febribus a ſuis cujuſque remediis, & curatione non recedendum; lochiorum tamen, quæ retenta fuerint, habita ratione. Sunt hac ætate nonnulli, quibus placet præſcribere in graviſſimis inflammationibus ſublimatum corroſivum, quorum conſuetudinem

numquam adduci potui, ut probarem. Primum enim, quum ſublimatum corroſivum ejus generis ſit, ut in potentiſſimis venenis numeretur, ſatis periculoſus ejus uſus in his morbis videtur, & alioquin prudentis Medici eſt ea præſcribere, quæ quam longiſſime a periculo abſint. Deinde etſi fieri poſſit, & fortaſſe aliquando factum ſit, ut venenati liquoris aquæ potus eluat perniciem, & ſublimato adhibendo nonnihil opis ægroto afferatur, verendum tamen eſt, ne latens intus virus progreſſu temporis vim ſuam exerat, & ægrotum lethaliter afficiat; quod utinam non aliquando contigiſſe reipſa experti eſſemus!

Adde, quod ſublimati vis ejuſmodi eſt, ut cuicumque parti applicetur, motu, & attritu ſuo partes valde agitando, eas ad gangraenam diſponat, ſeu etiam adducat, quo pariter ſponte ſua morbus inflammatorius tendit, ut plane qui ſublimatum adhibuerint, non quidem ægrotis opitulari, ſed vim morbi ad eorumdem perniciem, & exitium magis corroborare, & intendere velle videantur.

CA-

CAPUT XVII.

De lactis vitiis.

MAmmæ tertio a partu die plenæ tument, ut alibile lac Infantibus præbeant. Hoc quum pluribus vitiis obnoxium ſit, de his hic diſſeremus. Itaque lac vitioſum eſt vel defectu, vel nimia copia, vel pravis admixtis qualitatibus. Defectui cauſſam præbent prava, & non firma puerperarum affectio, ſudor copioſe ex ipſarum corpore interdum fluens, febres cujuſcumque generis, maxime quarum acceſſiones cum frigore extremitatum fiunt, fluxiones albæ, ex quibus eædem ſæpius laborant, tum fluxior alvus, ac mammarum ipſarum textura. Et ſane nonnullæ deprehenduntur feminæ, in quibus mammarum vaſa ita in anguſtum acta ſunt, ut lacti influenti cedere nequeant, immo aliquando ita fartæ pinguitudine, ut omnes lactei ductus comprimantur; quod vitium emendari non poteſt, etiamſi aliis memoratis incommodis occurritur vel quiete, vel boni ſucci cibo, vel diluentibus addita frictione, fomentis, & exſuctu, iiſque, quæ lactis ubertatem faciunt.

Ineſſe vitium ob copiam lactis cognoſcimus, ſi magna affluentia lac in mammas derivetur, quo fit, ut dilutius, ac tenuius, minuſque alibile reddatur. Quare omni ope adnitendum eſt, ut lac magis denſetur, quod obtinebimus motu corporis, & victu aridorum, & parum nutriente, & omnibus iis, quæ ſpiſſandi vi pollent.

Jam de pravis lactis qualitatibus ut loquamur

mur, certum eſt, ipſum ſponte aceſcere, & diutius a cibo ſalſum fieri, tum alchaleſcere, quum chylus in ſerum abiit. Quæ omnia non tam ſcire, quam meminiſſe, & præ oculis habere in puerperis curandis Medicus debet, ut, cauſſis perſpectis, vitiorum naturas dignoſcat, hiſque tempore occurrat.

Adhuc a lacte non recedimus. Si enim ob qualemcumque cauſſam, quas hactenus enumeravimus in mammis lactis impatientibus ipſum aggeratur, in iiſque conſiſtat, fit ſæpe, ut inflammatio gignatur, de quo tamen, quia ad rem chirurgicam pertinet, ſingillatim agere mens non eſt.

CAPUT XVIII.

De Nutrice eligenda.

QUoniam ad hunc locum perventum eſt, non alienum, eſſe videtur, de Nutrice eligenda aliquid adjungere. Ea enim mulier eſt eligenda, quæ annum non excedat trigeſimum quintum, nec minor ſit tertio & vigeſimo, vividi coloris, fortis, colli robuſti, muſculoſa, minimeque obeſa. Mammæ vero ſolidæ, ac firmæ ſint, tum mediam magnitudinem, mediamque duritatem obtineant, lacte præterea plurimum abundent. A viris ſejunctæ ſint, atque adeo carere menſtruis, nulliſque morbis affectæ eſſe debent. Hæc omnia in eligenda Nutrice expendenda ſunt; maxime vero attendendum eſt tempus, quo fœtu exonerata eſt,

quod

quod trium non amplius menſium ſit oportet. Curandum præterea, ne ſit primipara. Ad lac quod attinet, laudatur non ſubacidum, ſed dulce, non admodum craſſum, ac tenue, cujus periculum in lamina vitrea, vel argentea recte fit, ſi nimirum neque prorſus fluit, neque reclinatis laminis omnino conſtet. Ceterum potiſſimum videndum erit, ne ſtolida, & obtuſioris ſenſus nutrix ſit, neque animi perturbationibus pluſquam pro captu, & conſuetudine deterioris ſexus ſit obnoxia.

Hæc omnia in Nutricum delectu attendi oportet; quod ſi Mater ipſa lacte alere infantem puerum conſtituerit, præceptionibus his noſtris minus loci erit. Multo enim melius infans matris lacte nutrietur, etſi id his dotibus deſtituetur, quas in Nutricibus ſpectandas eſſe docuimus. Interim opus erit, ut corpus mater exerceat, cibiſque probatis utatur ad copioſius, & perfectius lac gignendum. Item imperandum, ne nimis large, neve nimis frequenter mammam infanti præbeat. Primis diebus, quibus lactare incipit, ſimplici cibo, atque aqua contenta ſit, quo lac dilutius gignatur, nec ita craſſum, atque alibile, ut nocere infanti poſſit.

A. & M. Doctor D. Thomas Faſanus in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat autographum enunciati Operis, cui ſe ſubſcribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium ordinum; & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 3. menſis Junii 1784.

J. A. TARSENSIS C. M.

EXCELLENTISS. AC REVERENDISS. DOMINO.

ΣΥΝΤΑΓΜΑ *de Morbis Mulierum* ab Cl. Viro *Franciſco Petraglia*, Medicinæ doctore, aliorumque opuſculorum auctore, conſcriptum, Te demandante, ſtudioſe perlegi; in eoque, præter cetera, ſummam auctoris probitatem demiratus ſum; quippe qui in præfatione ingenue fateatur, ſe in *excerpendis celebriorum Profeſſorum lucubrationibus operam* ſerio collocaſſe: quamquam pudentiſſime adjecit, de ſuo quoque *paſſim* quædam (ſed parce, ut decebat) *inſperſiſſe*. Argumentum quidem tam grave eſt, ut a medicinæ parente Hippocrate, & a ceteris medicinæ Scriptoribus ad hæc uſque tempora, ſeparatim fuſeque tractatum ſit. Illud mihi vero in primis in hoc libello laude dignum videtur, quod Cl. Auctor, Horatiani præcepti memor, brevitati ſimplicitati que maxime ſtuduerit. Quamobrem cum his de cauſis, tum etiam quod neque in bonos mores, neque in religionem quicquam ab eo peccatum animadverterim, in eorum potiſſime gratiam medicinæ tironum,

quibus modeſtia, brevitaſque cordi ſunt, edi poſſe reor. Neapoli XI. Kalendas Junii Anno MDCCLXXXIV.

Thomas Faſanus.

Die 23. menſi Junii 1784. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis, de die 20. currentis menſis, & anni, ac relatione U. J. D. D. Thomæ Faſani, de commiſſione Rev. Regii Capellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

PATRITIUS. SALOMONIUS.

Ill. Marchio Citus Præſes S. R. C., & ceteri Illuſtres Aularum Præfecti tempore ſubſcriptionis impediti.

Reg.

Carulli. *Athanaſius.*

Adm.

Adm. Rev. Dominus D. Felix Cappelli S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Die 24. Maji 1784.

A. EP. ORT. VIC. GEN.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

HAud equidem inficias iverim, me ſcilicet, uti tua juſſa facerem, *de Morbis Mulierum* Ἐγχειρίδιον, ab clariſſimo viro Franciſco Petraglia Latiali ſermone conſcriptum, ac celebri Saliceto, Romani Pontificis Archiatro dicatum, naviter perlegiſſe; inque eo fateor itidem, me nihil, quod aut religioni, aut honeſtati officiat, deprehendiſſe; medicæ inſuper artis ſcientiam ſumma cum perſpicuitate conjunctam ſuſpexiſſe. Quare arbitror, plane æquum fore, ut huic operi in Æſculapii filiorum commoda Typographica Lucina faveat. Dabam Neapoli ex Ædibus S. F. Eidibus Juniis, anno CIƆIƆCCLXXXIV.

Eminentiæ Tuæ Devotiſſimus
Felix Cappellus
Reg. Scient. & Antiquit. Academicus.

Attenta Relatione Domini Reviſoris imprimatur. Die 30. Junii 1784.

A. EP. ORT. VIC. GEN.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.